

C A R O L U S R.



AROLVS Dei gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex,
Fidei Defensor, &c. Omnibus Archiepiscopis, Ducibus, Marchionibus,
Comitibus, Vice-Comitibus, Episcopis, Baronibus, aliisque Subditis
nostris fidelibus Universis, Salutem. Quum planè nobis innotuit,
quòd *Edmundus Castellus* S^x Theologiæ Professor, ex approbatione,
quin & suasione, variarum tam ex nostris, quàm exteris Academiis
doctrinæ eminentiâ insignium personarum, in se suscepereit constructio-
nem *Lexici Heptaglotti*, linguarum scil. *Hebrææ, Chaldææ, Syriacæ, Sama-*
ritanæ, Æthiopicæ, Arabicæ & Persicæ, unà cum Grammaticis, ad illud pertinentibus; &
quod unum insuper ejusdem volumen non sine maximis ipsius sumptibus & expensis, adsi-
stentibus aliis quibusdam personis ad promovendum istud opus voluntariè subscriptentibus,
jamdudum publicaverit: Quumque persuasum nobis habemus, quòd Consummatio Edi-
tionis *Lexici* prædicti, necessarii erit usûs ad rectam intelligentiam Orientalium Authorum,
tum MSS. tum etiam excusorum, quin & specialis utilitatis ad *Biblia Polyglotta magna*, in
Regno hoc nostro noviter divulgata: N O S ex desiderio, quod habemus, promovendi,
quin & honorandi studia, & molimina pia, & erudita universa; Et quia ad maturam perfe-
ctionem perduci non poterit hoc Opus, absque favorabili auxilio & promotione istiusmodi
personarum, qui nobiscum lubenter concurrent ad promovendum tam laudabile negotium;
Ad supplicationem & instantiam præfati Doctoris *Castelli*, æquum Judicavimus, Opus an-
tedictum considerationi, atque insuper munificentiae omnium personarum honorabilium, ali-
orumque eruditione virorum insignium, commendare; ut vel pro uno, pluribusve libris sub-
scribendo, aliisve modis, quos suggeret illis propria illorum pia dispositio, prædictus Doctor
Castellus hoc ejus tam dignum institutum ad debitum finem perducere valeat. Datum in
Palatio nostro *Westmonasteriensi* 13. Calend. *Januarii*. 1660. Anno Regni nostri duode-
cimo.

Ex mandato Regiæ Majestatis,

Guilielmus Morice.

Salutem in Christo, autore salutis universæ. Unde cum bis recipiet Dominatio Tua chartarum impressarum fasciculum, exhibentium quasdam propositiones circa Editionem Lexici Heptaglotti ad usum Bibliorum Polyglottorum nuper excusorum accommodati: Quam quidem editionem cum præsentî autoris conditione, Dominationis Tuæ curæ & considerationi per Has desideratissimè commendô. Pluribus ut utar argumentis, quibus inducam Pietatis & Dignitatis viros ad promovendum Opus ad profectum Religionis & Doctrinæ tam apprimè utile, credo non erit necessarium: Dolerem insuper pudoris calcar ingerere, ad instigandum quemlibet in hoc negotio. Cui si deessemus, ad Ecclesiæ nostræ non modò, sed & Regni opprobium, ne dicam infamiam, cederet universi: Si quidem personam rei literariæ publico bono tam strenuè incumbentem, sub tam insigniter honorandi Operis mole subsidere, eoque opprimenti sineremus. Quocirca bujus suscepisti per illum negotii tam excellentis, Dominationi Tuæ, quam possum, ardentissimè recommendo: Rogans Te & efflagitans, ut tam per Temet ipsum, quam per alios, unum duosve Ecclesiæ Tuæ & Diœcœsos graviter industrios & idoneos Viros, Chartas, cum hisce literis nostris, Dignitariis, & Cleri Tui magis opimè Beneficiatis, aliisque personis Religionis & Doctrinæ studiosis distributim communicari facias: Hortans eos, & impellens ad liberalem & munificam contributionem faciendam in tam præclari Operis promotionem, secundùm Propositiones Autoris. Functioni nostræ res hæc est maximè conveniens & consentanea: In qua, de Tua hac ex parte locanda mecum Opera, quæ potes, maxima, nullatenus dubito. Vale in Christo, Domine mi charissime.

Dominationis Tuæ amicus, & frater amantissimus,

Gilb. Cant.